

# INSTITUTIONUM MEDICINÆ

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT I.

#### *De natura Medicina.*

Nominis  
Medici-  
ne natio.

**M**EDICINÆ vox cum à medendo, id est, ægris auxiliando ducatur; propriè soli parti Therapeuticæ, quæ morbos tollere docet, competit: atque hac significatione olim sub primum Artis hujus ortum à primis illis Medicinæ inventoribus usurpata est.

Primò enim pars Medicinæ Therapeutica, quæ scilicet maximè urgeret, & in primis necessaria esset, invēta est: Deinde adjecta est ea quoque pars, quæ præsentem sanitatem tuetur. Retenta tamen postea antiqua appellatio, & toti arti attributa est. Non aliter ut Geometriæ vox, quæ originem à metienda terra traxit, nunc multò ampliore significatione usurpatur.

Ut verò ipsa Artis medicæ Natura, quæ meritò omnibus, qui illi operam suam addixérunt, notissima esse debet, claris sub cōspectum ve-

niar; quinam ejus Finis sit; ad quod disciplinarum genus pertineat; & subjectum, in quo occupatur, primò explicandum est. His enim cognitis, ipsa Medicinæ Natura sese ob oculos offeret, definitionemq; ejus constituere, non erit difficile.

Finis quidem Medicinæ extra *Fink Me*  
*minem*, ut putamus, controversiam *dicina.*  
positus est, atq; apud omnes in confessio habetur: Medicinam de sanitate esse sollicitam, & in eo occupari, ut præsens cōservetur, atq; amissa restituatur. Hoc enim fine &c. *Origo*  
*lim Medicina inventa est, & nunc Medici-*  
*excolitur. Nam cùm animadver-*  
*terent homines, corpus nostrum*  
*non in eodem statu perpetuò persi-*  
*stere; sed nunc secunda valetudine*  
*frui, nunc cum morbis conflictari;*  
*simulq; intelligerent, longè beatior-*  
*rem & feliciorem esse eorum statū,*  
*qui secunda valetudine fruuntur*  
*quam eorum, qui morbis affligun-*

A

cursus